

Inter plurimas injurias Christo a Judæis illatas, illa non minima erat, quod eum cum latronibus et nequam, ut vocat Lucas, et quidem in medio eorum crucifigere voluerunt: id enim fecerunt ut causam Christi cum causa latronum confunderent, et vulgo videretur participasse cum sceleribus illorum, imo dux latronum et antesignanus fuisse; quo nimirum Christus amplius infamaretur. Et propterea etiam cum cohorte et armis de nocte tamquam ad latronem exierunt ad eum capiendum. De hac ingente injuria vindicavit noster latro Dominum, dum se sociumque reos, Christum vero innocentem protestatus est, atque adeo malitiam et injustitiam Pilati et Judæorum populo aperuit prodiditque furtum Judæorum, quo Christo honorem furabantur. Qua quidem protestatione tam insignem charitatis actum designavit, ut propterea martyr a S. Cypriano et Augustino vocatur: et dignus existimetur a Renaldo abb. tract. IX. de VII. verbis Christi in bibl. ss. pp. qui in locum Luciferi evectus sit. Dum enim Christum innocentem clamat, nonne hoc ipso Judæos et Pilatum arguit immanis sceleris? Nonne hoc ipso se exponit gladiis et lanceis militum, acerbius cruciandum? Sed nihil horum veritus est, cum periculo novi supplicii Christum defendere non dubitans. O quam jucundum hoc erat Christo spectaculum, dum tacentibus apostolis, lapides pro ipso clamant? Quantum amaverit Jonathas Davidem, ex eo maxime claruit, quod cum Saul Davidi nihil sane commerito necem intentaret, Jonathas patrem arguit et Davidem suum defendit dicens: *Quare morietur? Quid fecit?* Hoc enim verbo patris iram in se concitavit ut ejus lanceam vix effugerit, I. Regum XX. Et quid aliud facit bonus hic latro Christo? Quid mirum igitur, si quemadmodum conglutinata est anima Jonathæ animæ Davidis, I. Regum XVIII. sic et anima latronis conglutinata est animæ Christi, ut audire mereretur: *Hodie mecum eris?*

In proximum vero dum socium reprehendit (indirecte etiam reliquos Christi obtrectatores arguit, cum ait: *Neque tu*, id est, quod isti faciunt et tu facis: et quidem dexterrime, quia jure poterat corrigere socium, non alios) nervoso argumento: *Neque tu times Deum, qui in eadem mecum damnatione es*, q. d. quod Judæi non timeant Deum, non adeo ego miror; si quidem ipsi liberi sunt, nihil patiuntur, nec mortem præ oculis vident. Tu vero cruci affixus es, in tormento existens et morti ac judicio vicinus, ad hæc tamen tibi ipsi non attendis, sed afflictio afflictionem et peccata peccatis addis? Volebat nimirum bonus latro, qui rapinas cum socio dividere solitus erat, cœ-

lum quoque nunc dividere; siquidem hic deprehenderunt opulentissimum viatorem, qui regnum cœlorum in dorso gereret, q. d. Veni frater, despoliemus eum; quia sponte se offert dividamus spolia, etc. Et propterea antequam pro se oret Christum, fratrem emendare satagit. Confundit ergo et hic quam plurimos, qui Dei contumelias videntes et blasphemias audientes, non corrigunt, sed forte etiam arrident et probant. Nam, ut Plutarchi verbis utar libr. de amicitia: *His temporibus ad libere loquendum bene vocem amisit amicitia*. Amici sumus, sed ad lucra, ad epulas, ad flagitia, sed non ad procurandam amicorum salutem. Et quemadmodum Patroclus proditurus in bellum reliqua quidem Achillis arma sibi assumpsit: solam vero hastam ut gravem et prævalidam ne attingit quidem, teste Plutarch. ita amicus fictus, quæ sunt amicitie, omnia sectatur, solam admonendi libertatem non assumit, quæ ut hasta corpus, sic illa animum amici delinquentis ferit.

IV. Humilitas, dum ait: *Domine, memento mei*. Nam primo, dum Dominum illum vocat servum se ejus fatetur. Et vide humilitatem. Quis est quem vocas Dominum? Nonne et ipse tecum est in eadem angustia, in eodem crucis opprobrio? Quis unquam vocavit Dominum supplicia perferentem? Quis non illos habet pro miseris mortalium, qui carnifici traduntur? Et hunc ergo vocas tuum Dominum? Quam miserum te facis, dum miserrimum tibi eligis in Dominum? Quid tandem in illo vides ut Dominum tuum dicas? Ubi famuli? Ubi sedes? Ubi splendor vestium? Ubi apparatus? Sed ille oculatior fuit quam omnes Scribæ et Pharisei: quia sub sordido palliolo cruentati corporis vidit Dei sapientiam, quam illi nec videre voluerunt, nec venerari. Nonne et hic confundimur? Nos enim Christum regnantem in cœlis, sæpe ita parum veneramus, quasi Dominum non agnosceremus: velut cum transimus s. eucharistiam, cum in templo sumus. Quid fecissemus ipsi pendenti in cruce? *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Ait Mal. I.

Sed quid ab hoc Domino suo petit? *Memento mei*, inquit, *cum veneris in regnum tuum*. Non petit regni consortium aut jus inhabitandi; sed memoriam sui tantum, q. d. Innumera mea flagitia nequaquam admittunt, ut ista petam: satis mihi fuerit, si qualemcumque tandem gratiam mihi exhibueris. S. August. in serm. VIII. de verbis Domini, ait: « Considerabat facinora sua et pro magno habebat, si ei vel in fine parceretur; salutem suam longe futuram sperabat et post longum tempus accipere contentus erat. »

Sic ille. Quis docuit hanc industriam latronem? Docuerat Dominus, ut qui exaltari in mensa cuperet, novissimum occuparet locum; sic enim auditurum: *Amice, ascende superius*, Luc. XIV. Id fecit latro ille, cum novissimum locum petiit, imo memoriam tantum sui in cœlo: et idcirco mox primus in eo positus est, si spectemus tempus.

V. Mundi contemptus: siquidem nil temporale petit nec vitæ prolongationem, vel liberationem de cruce, sed bona solida alterius vitæ. Latro deterior salutem corporis petebat, animam non curabat. Bonus vero de anima sollicitus erat, corpus non curabat. Illi similes sunt, qui in ægritudine intendunt corporis curæ, filiorum et divitiarum, de anima nihil aut sero cogitant. Illic vero similes illi, quibus animæ prima cura est. Sic benedicitur Jacob de rore cœli et in pinguedine terræ; Esau vero in pinguedine terræ et in rore cœli, Gen. XXVII. quia nimirum justi primario quærunt regnum cœlorum, secundo temporalia: reprobi contra. Millies replicamus divitibus, quam facile ipsi sibi regem illius sæculi reddere propitium possint et facere sibi amicos de mammona iniquitatis. Sed truncis et lapidibus loquimur; quia nimirum ipsi non curant aeterna et futura bona, sed præsentia tantum et fluxa: et idcirco evenit eis, quod Judæis, qui regnum temporale conservare studebant; justitiam vero et regnum Dei non curabant, ac sic utrumque amiserunt. Quia enim ipsi futura non quærunt, præsentia conservare non possunt, ideo merentur utraque perdere.

VI. Pœnitentia et confessio peccatorum, fatebatur siquidem se digna fati recipere: non negavit, nec excusavit, aut extenuavit peccata, quemadmodum multi faciunt; et ideo mox absolutionem accepit. Sed objicit hæreticus, latronem non fecisse confessionem, qualem nos requirimus, particularem. Quis hoc inficiatur? Atqui tum nondum a Christo instituta erat aut præcepta. Sed post resurrectionem primum. Deinde latro plus tunc fecit, quam teneretur. Sufficiebat enim tunc confiteri Deo in corde: ipse confessus est etiam ore, plurimis audientibus. Rursum jam antea iudicibus crimina sua confessus erat, sed quia coacta erat illa confessio, non putabat eam satis fore, ideo voluntariam alteram adjungit. Quo in re potius ostendit confessionem peccatorum externam medium esse congruentissimum ad peccatorum remissionem. Habuit et detestationem peccatorum suorum: quomodo enim non detestaretur in se, quod corripuit in alio? Habuit et satisfaciendi promptitudinem, quia pro sceleribus suis libenter patiebatur.

VII. Patientia, quia non est conquestus contra magistratum, sed: *Nos quidem digna factis recipimus*, inquit. Docet per hoc in afflictionibus nostris reos nos fateri, et cogitare, quod digna factis recipiamus.

Habemus igitur Christum nemini fecisse injuriam quod latronem bonum, novissimum in vinea, primum fecerit in gloria, sua enim industria compensavit tarditatem latro, et pauculis verbis tot virtutum actus edidit, quot alii non edent multis sæpe annis. Habemus etiam neminem præsumere debere de pœnitentia in morte agenda: quia nemo facile erit, qui eo præsertim tempore tot præclara virtutum facta designabit. Unde Augustinus inquit: *Ostende mihi alium latronem*. Deinde hic dies plenissimæ indulgentiæ fuit, quo cœli porta aperta est. Unde ait: *Hodie mecum eris*; quia scilicet hodie dies est maximæ miserationis. Denique latro iste egit quidem in articulo mortis pœnitentiam, sed eam non distulerat ex instituto usque ad illud tempus, quia forte de pœnitentia nunquam cogitavit. Atqui nos quotidie et admonemur pœnitentiæ et habemus occasiones innumeras, nihilominus eas prætermittimus et temere pœnitentiam sæpe ad mortem usque differimus. Non mirum ergo si tunc non audiamur. Habemus denique non sola fide salvatum esse latronem, siquidem vidimus eum bonorum operum cumulum adjunxisse fidei.

§ XXXV. — DE TERTIO CHRISTI VERBO.

I. Cur matrem commendavit discipulo? 1. Ob ejus desolationem. 2. Ob bonum discipuli. — II. Cur Joanni non alteri matrem commendavit? — III. Cur appellat eam mulierem, non matrem? Fructus hujus verbi: 1. Disce a Christo munus liberorum erga parentes. 2. Disce a Deipara: 1° Officium parentis erga liberos. 2° Fortitudinem in adversitate. 3. Disce a Joanne: 1° Amare crucem. 2° Officium veræ amicitie. 3° Curam pauperum.

THEMA.

Mulier ecce filius tuus. Joan. XIX.

Consultum et laudabile est, ut qui multa præsertim bona possidet, ante mortem suam condat testamentum. In eo vero testator quatuor potissimum facit. Primo, animam Deo offert. Secundo, injurias remittit, et si quæ habet debita, solvi jubet. Tertio, legata facit, prout ei placet. Denique hæreditatem liberis vel amicis, ad quos de jure spectat, promittit et relinquit. Parum quidem aut nihil in mundo possidebat Christus Dominus, sed negari tamen non potest,

quin fuerit interim ditissimus, utpote cœli et terræ Dominus. Decebat igitur omnino ut ante mortem suam faceret testamentum. Id quod et fecit in cruce, calamo linguæ suæ velociter scribentis, ibi enim commendavit animam suam Deo: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, etc.* Ibi injurias remisit, *Pater ignosce illis, etc.* quia debita non habuit propria, remisit omnibus aliena. Ibi legata fecit, charissimo enim discipulo et per hunc universæ Ecclesiæ, legavit matrem suam in patronam et advocatam: *Ecce mater tua.* Matri vero suæ legavit ad solatium, charissimum sibi discipulum: *Mulier, ecce filius tuus.* Quin etiam militibus, et per hos etiam reprobis reliquit vestes suas, id est, bona temporalia; crucem vero omnibus Christianis: denique latroni converso, et per eum omnibus justis ac pœnitentibus velut legitimis hæredibus suis, reliquit paradisum, hæreditatem immarcescibilem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quoniam igitur jam vidimus aliqua hujus testamenti capita, nunc legatum videamus, quod fecit matri et discipulo.

I. Continet hoc verbum singularem Dei providentiam erga matrem, et discipulum sibi dilectissimum Joannem. Circa quod imprimis quæritur, quid opus fuit matrem commendare discipulo? Respondetur primo, ob ejus desolationem, et primo, ut virgini prospiceret: *Cum vidisset ergo matrem,* inquit Joannes. Visio ista commiserationem continebat. Cum enim vidisset matrem parentibus, viro, fratribus et sororibus destitutam, ne omni prorsus humano subsidio careret, Joanni commendavit. Mira profecto erga matrem sollicitudo; non enim solent morituri consolari sanos aut providere illis: contra potius sani solatio et subsidio succurrere debent agonizantibus. At Christus nec in agone quidem suo sollicitudinem erga matrem deposuit, sed ut dolorem ejus leniret, charissimum discipulum in filium ei dedit, et absque dubio impressit eo momento temporis matri quidem affectum maternum erga Joannem, Joanni filialem erga matrem, ut ita se invicem diligerent sicut mater et filius.

Secundo, quia filius ei per injuriam ablatum erat, non debebat filio carere. Cum enim matri occiditur filius, ipsa jure merito dolet et accusat occisorem; vel cum ejus filius in bello occumbit, justum sentit dolorem; (propterea in institutione de adoptione, non permittitur mulieri adoptare filium, nisi quando filius ejus in bello occubuit) et commiseratione digna est, non ita cum naturali morte tollitur ei filius. Atqui Deiparæ per violentiam et summam injuriam

ademptus est unicus idemque omnium nobilissimus et charissimus filius; cur ergo ad ejus solatium non jure detur illi filius adoptivus?

Secundo, ob bonum discipuli, cui eam commendabat Dominus. Cum enim posset sine humano labore per angelos matri suæ, quæ ad vitam erant necessaria, facile procurare (quemadmodum et ipsi Christo in deserto ministrabant) vel per corvos etiam illam sustentare (quemadmodum Eliam et Paulum eremitam voluit id potius fieri per discipulum, ut simul etiam illum honoraret et magno beneficio afficeret, vereque sibi dilectum ostenderet discipulum. Nam et Eliam Deus misit olim ad viduam ut ab ea sustentaretur, III. Reg. XVII. non quoc non posset illum alere per corvos ut antea fecerat, sed ut viduæ benediceret. Itaque hoc munere Dominus reddidit Joanni centuplum, quod promiserat relinquentibus patrem vel matrem Matth. XIX. siquidem pro matre piscatoris dedit ei matrem Dei, mundi Dominam, gratia plenam benedictam in mulieribus et brevi exaltandam super choros angelorum. Et quis cogitatione possit comprehendere quantum sub hac magistre profecerit Joannes? Certe in contemplatione divinorum mysteriorum super omnes volavit evangelistas, absque dubio Deipara instructrice, ut sentit S. Ambros. I. de virgin. instit. c. VII. *Tradita est, inquit, Virgo Joanni conjugium nescienti: unde non miror præ cæteris locutum mysteria divina, cui præsto erat aula cœlestium sacramentorum, etc.* Quis etiam non videt quantus honor sit, esse filium Deiparæ et tutorem? Nihil certe charius in terra Dominus habebat, quam matrem. Et quanta nunc in cœlo erit gloria Joanni, quod filius sit Deiparæ, adeoque Christi frater?

II. Quæritur, cur Joanni potius quam alteri, matrem commendavit? Respondetur primo, quia Joannes cruci vicinus erat, adeoque Christum ad crucem usque secutus, quod non fecere cæteri discipuli. Quoniam igitur majori ardebat erga Christum dilectione, dum pericula contempsit, in quæ juxta crucem poterat incidere; ideo eidem majorem exhibuit Dominus dilectionis prærogativam, qua dilectissimam sibi matrem ei commendavit seipsum matri. Unde cæteri discipuli non poterant invidere Joanni istam prærogativam, quia a longe steterunt.

Secundo, ob virginitatis prærogativam, ut hujus virtutis excellentiam honoraret et amabilem redderet. Quam enim pulchrum hoc virginum tricinium, dum virgo virginem virgini commendat? Noluit quidem Christus virginitatem alicui præcipere, teste apostolo: ut tamen ad eam sponte sectandam homines alliceret, fecit, quem-

admodum ludimagistri solent: erigunt enim editiores et quasi regias cathedras, sceptro et corona insignes pro doctissimis, ut discipulos reliquos alliciant ad eum honorem regis ambiendum: non tamen idcirco præcipiunt ut ad eam gloriam omnes contendant, quia ardui est laboris. Sic Dominus gloriam virginitatis valde decoravit præ cæteris virtutibus, dum ipse virgo fuit, matrem virginem habere voluit, eam virgini commendavit, Joannem virginem præ cæteris maxime dilexit, etc. ut sic ad eam sectandam saltem plurimos invitaret.

Porro cum non Joanni tantum, sed in Joanne præterea toti Ecclesiæ data sit in matrem Deipara, videre nunc licet, quomodo ejus patrocinium facile obtinere possimus; si videlicet crucem Christi amemus et castitatem colamus.

III. Quæritur, cur Christus vocarit eam mulierem, non matrem. Respondeo primo, forte hoc fecisse, ne dulci matris nomine cor ejus magis affligeret. De ipso enim prædictum erat, Isa. XLII. ut testatur Matth. cap. XII. *Arundinem quassatam non confringet.* Erat autem tunc temporis mater Christi arundo quassata ingentibus dolorum procellis: non debebat ergo confringi seu amplius affligi; quod factum fuisset, si eo tempore tristissimo, quo Filium cum non filio mutare cogebatur, matris nomine a Filio compellata fuisset. Unde Lud. Gran. in medit. vitæ Christi, loquentem ad matrem introducit Christum: « O quibus verbis tempore separationis te alloquar! Si te appellavero matrem, tempore quo perdis Filium, viscera tua, voce hac audita, dissecabuntur; si te non appellavero, et tam longum iter ingressurus licentiam a te non petiero, novus dolor aliis doloribus accedet. Ergo non matrem, sed mulierem te appello. » Sic ille. In hunc modum cum (Ruth. c. I.) Noemi reverteretur in terram suam Bethlehem, orbata viro ac filiis, et mulieres dicerent: *Hæc est illa Noemi, respondit illa: Ne vocetis me Noemi, id est pulchram: sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde relevit me Omnipotens.* Ita omnino dicturam fuisse Deiparam existimo, si tunc, cum orbaretur filio, jam ante orbata viro, audiret nomen matris.

Secundo, ut indicaret, quam parum carni et sanguini tribuendum sit, ab iis præsertim qui mundo crucifixi sunt. Versabatur tunc temporis Dominus in Patris negotio omnium maximo exequendo, ideo tunc caro et sanguis, qui non sapit ea, quæ Dei sunt, omnino seponenda erant. Potuerat caro et sanguis Domino patienti obloqui, quemadmodum olim Petrus Domino passionem suam prædicenti: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Sed talis affectus aut oblocutio tunc

II. PARS HIERALIS.

Satanas fuisset et adversarius, ideo matris nomen omnino reticendum erat: ut hoc voluntarium Patri exhibendum, nullo prorsus affectu contrariante turbaretur.

Hinc primo, discimus a Christo liberorum munus erga parentes; primo, ut ne deserant ægros vel senio affectos, sed curam illorum habeant. Sane Cyrillus Hierosolymit. catech. VII. ait « Christianorum est prima pietas, honorare parentes et labores educationis rependere, atque omni studio, quæcumque ad eorum quietem pertinent, curare. » Sed hoc parum sæpe advertunt filii, qui erga confectos senio parentes filialem exuunt animum. Quemadmodum Jerem. XII. dicitur: *Facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in silva, dedit contra me vocem.* Duriora enim verba filiorum parentibus senioribus data, vehementer eos affligunt, multo magis desolatio. Refertur in fasciculo temporum circa annum mundi 4306. fuisse in Britannia regem nomine Leyr, qui cum filios non haberet, sed tres tantum filias, regnum suum partiturus, prius singulas interrogavit (ut indagaret cui potioem partem daret) quantum ipsum diligerent. Prima et secunda responderunt, se diligere ipsum plus quam animas suas: tertia vero videns senem blanditiis credere, severius respondit se diligere eum ut patrem; addiditque: *Quantum habes tantum vales, tantumque te diligo.* Cui iratus pater eam exhæreditavit, reliquis regnum divisit: quæ tamen senescentem patrem maritorum suorum opera regno spoliavit, et vix cum uno famulo in familia toleravit. Porro exhæredem filiam ob formæ elegantiam rex Franciæ sibi despondit. Ad hanc itaque filiam tandem se recepit Leyr, et recordatus verborum ejus dixit: « O filia, quam vere mihi dixisti: Quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. Dum enim habui quod darem, multum valui apud sorores tuas, nunc vero cum nihil habeam, nihil prosumus valeo. » Itaque a filia ista receptus et benigne habitus, iterumque regno restitutus est. Notent hoc parentes, ne nimium credant liberis.

Secundo, ita diligere illos, ut tamen Deus magis diligatur eique potius serviat. Potuisset enim Dominus recreare matrem, omnemque ei mœrorem abstergere, si descendere de cruce voluisset; sed Patris ille voluntatem prætulit meritissimo, quod idem fecerat, cum insciis parentibus remansit in Jerusalem. Ad exemplum ejus noluit etiam adolescens ille Albertus, comitis Falkenbergensis unicus filius, deserere ordinem Dominicanorum, quem insciis parentibus ingressus erat Lutetiæ, circa annum Domini 1230. Cum enim pater ad eum retrahendum advolas-

set, et frustra blanditias tetendisset obfirmato juveni, Theodoricus Alberti consobrinus conatus est eum revocare dicendo, matrem ejus præ animi ægritudine vel jam mortuam, vel decumbere moribundam. Sed Albertus cum forte e regione iconem crucifixi inter matrem et discipulum conspexisset, in eam oculos ac digitum intendens: « En, inquit, Dei Filius, cum matrem et consobrinum, utrumque sibi tam charum, doloris gladio confossum videret; tam e crucis patibulo descendere noluit, sed in ea cum suo illorum cruciату usque ad mortem permansit. Quare hæc ego hanc religiosæ vitæ crucem, quam semel conscendi, deseram unquam, quamvis et matrem et te consobrinum ad pedes meos exanimes jacere viderem. » Refert Leon. Lessius, in dis. de statu vitæ deligendo. Nimirum Christus carius nos enutrivit, quam parentes nostri (uti ipse dixit cuidam Franciscano discessum paranti e religione, ob matris inopiam, apud S. Antonium III. p. chro. tit. XXIV.) sanguine videlicet suo: cum parentes lacte tantum et cibis alant.

Discimus secundo a Deipara, primo, officium parentum erga filios, ut diligant quidem eos, sed Deo non antepoñant, nec amor filiorum impediatur amore Dei. Dolebat enim vehementissime ob filii passionem, sed non indignabatur, nec clamores aut querelas proferebat; stabat enim juxta crucem, et fortiter ferebat, quod ex voluntate Dei fieri sciebat. Itaque si contingat filium vocari ad statum religiosum, non obstant, siquidem S. Hieronymus, epist. I. ad Heliodorum ait: « Retrahere a religione nihil esse aliud, quam Christum in pectore alterius occidere, Christo se opponere, spargere et dissipare quæ Christus colligit, donativum militiæ Christi suffurari. » Item non ament eos amore fatuo, quo necessarias utilesque censuras prætermittant, ad perniciose eorum desideria conniveant, et duci se sinant a puerilibus studiis, quomodo cæci a catellis funiculo alligatis ducti sæpe aberrant et in lutum aut fossas cadunt. Hæc vesania laborabat Themistocles cum uxore sua, qui dicere solebat ad confusionem propriam, a filio suo, qui plus æquo abutebatur matris licentia, et per illam suam, quemvis alium Græcum auctoritate vinci; cæteris enim imperare Athenienses, se Athenientibus, sibi uxorem, uxori filium, Plut. in Themist. Longe aliter mater illa, quæ filium Melithonem, ex quadraginta martyribus frigore necatis unum necdum plane extinctum, cum a lictoribus relinqueretur quasi ad se rediturus, in humeros sustulit et avecta reliquorum martyrum corpora nsecuta, in eundem rogum ad illos conjecit, ut particeps esset coronæ, qui fuit et pugnae. Erat

sane Mariæ Filius Deus ipse, nihilominus Dei voluntatem ejus dilectioni præposuit: quanto minus ergo decet ut matres cæteræ ament filios suos contra aut supra Deum?

Secundo, fortitudinem in tribulationibus; siquidem sub cruce non crines laceravit, nec in terram corruit, sed stabat, ut Joannes ait, nec de injuria sibi a Judæis illata (quia Filium ejus innocentem sustulerunt) conquesta est: ut merito in eam quadret, quod Cant. II. dicitur de sponsa: *Statura tua assimilata est palmæ*. Ut enim palma rectissimæ staturæ est et cum pondus ei imponitur, non succumbit, sed potius in modum fornix se erigit: sic Deipara sub cruce etsi gravissimo Filii supræse pendentis onere pressa, non succubuit, sed erecta stabat et invicta, divinæ se conformans voluntati. Quam rectitudinem suadet omnibus apostolus, I. Corint. XVI. *State in fide, viriliter agite*. Fortes instar tesserae sunt quæ semper recta cadunt: sed qui hæc fortitudine carent, instar globi facili impulsu dimoventur et fugiunt.

Tertio, a Joanne discimus primo, amare crucem et ad illam penetrare; siquidem magnus est ejus fructus. Nisi Joannes ad crucem per confertam plebem se intrasset, sed cum cæteris discipulis a longe stetisset, tam pretiosum legatum, Deiparam videlicet in matrem, non accepisset. Itaque Christi amici cruci assistentes omnes præmiati sunt, Deipara Joannem in filium et nutrimum, Joannes Deiparam in matrem accepit: Magdalena et cæteris mulieribus Christus resurgens omnium primis apparuit. Forsitan reliqui quoque discipuli si cruci adstitissent, donum ali-quod obtinuissent; sed quia fuerunt absentes, fuerunt et carentes.

Secundo, officium veræ amicitiae, quæ non deserit amicum hiemali adversitatis tempore, quemadmodum nos hirundines, postquam æstatem nobiscum hilares transegerunt. Joannes noster qui tempore cænæ in sinu Domini recubuit, tempore passionis quoque Domino suo adfuit. Ad quem modum docemur non adesse tantum amicis, cum bene valent et prospera utuntur fortuna, sed etiam cum ægri decumbunt, vel cum alia adversitate premuntur.

Tertio, curam pauperum: siquidem legatam sibi a Christo matrem utique tuendam et alendam ex illa hora accepit in sua, videlicet obsequia. Nimirum plus accepturus erat a Deipara Joannes, quam ei dare posset, idcirco præstantissimum hoc et nequaquam poenitendum legatum illico et cum gaudio accepit. Et quid aliud fecit Deus, cum pauperes in mundo esse voluit? Annon legavit eos ditioribus, ut eosdem

alant? Quid aliud est pauper fores tuas pulsans, quam legatum Christi, qui dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*? Acceptanda ergo sunt cum alacritate legata ista, quia plus accipitur a pauperibus, quam dari eis possit. « Faciendus est ager pauperum, (inquit S. August. ser. XXV. de verb. Domini) cito reddit donantibus fructum. » Et in quadam epist. « Si vis esse mercator optimus, tenerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non poteris amittere: da modicum ut recipias centuplum: da temporalem possessionem, ut consequaris hæreditatem æternam. » Sic ille.

Denique Deiparam etiam recipere in nostra debemus, quemadmodum Joannes. Eam enim hic Christus nobis omnibus obtulit in matrem. Neque dubitandum est de voluntate matris; amplissimum enim habet pallium, quo nos omnes potest et cupit tegere. In nostra inquam obsequia recipienda est Deipara, ut eam singulari devotione colamus, singulari fiducia et quasi familiaritate ad eam accedamus. Sic enim et ipsa quoque nos accipiet in sua.

§ XXXVI. — DE QUARTO VERBO.

- I. Quomodo sit derelictus. — II. Cur ita derelictus. — III. Quare per modum querelæ ait: *Ut quid dereliquisti me?* — IV. Cur derelictionem protestatur. — V. Cur circa horam nonam ita clamavit: 1. Vide Christi patientiam. 2. Vide quam sint leves nostræ tribulationes. 3. Vide quam adsit Deus tentatis. 4. Vide humilitatem. 5. Vide ingenium reproborum.

THEMA.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?
Mat. XXVII.

Dicit quidem S. David, Psalm. XXXVI. *Junior fui, ætenui senui, et non vidi justum derelictum*; quasi dicat, in tam longo tempore a pueritia mea usque ad senectutem non vidi talem aliquem: adeoque impossibile existimabat ut justus derelingeretur. Sed quid si nos Davidi justum aliquem ostenderemus, qui a Deo derelictus sit? Sane non negabit David Christum Dominum fuisse justum; siquidem de eo, Jerem. XXIII. dicitur: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster*. Sic etiam vocarunt eum ipsimet ejus adversarii; Pilatus: *Innocens ego sum a sanguine justis hujus*, Matth. XXVII. uxor ejusdem: *Nihil tibi et justo illi*; Judas traditor Christi: *Peccavi tradens sanguinem justum*; centurio: *Vere hic homo justus erat*, Lucæ XXIII. Et hic tamen in

cruce clamat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quid ad hoc, o David? Fierine potuit ut a Patre derelingeretur *Dominus justus noster*? Fateri sane debemus fieri hoc potuisse; siquidem revera factum est. Sed hoc tamen adeo mirum et insolitum erat, ut propterea videatur Christus ipsemet mirari, quomodo id fieri potuerit, q. d. fierine potest, ut sapientissimus Pater charissimum sibi Filium in hanc tormentorum abyssum devenire sinat et in ea deserat? Admirandum igitur istud mysterium, attente nobis pensandum est, ne alioquin nobis dicat Isaias: *Justus perit, et non est qui recogitet in corde*, Isaiæ LVII.

I. Quomodo fuerit Christus in cruce derelictus? Respondeo multas in Christo fuisse uniones. Unio naturalis cum Persona Patris et Spiritus sancti, et hæc omnino est indissolubilis. Secundo, unio nova divinæ naturæ cum humana, et hæc etiam dissoluta non fuit; quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit; proinde in triduo mortis dominicæ, divina natura mansit unita, tam cum corpore emortuo et sepulto, quam cum anima descendente ad inferos; per mortem Christi sola unio corporis et animæ dissoluta est. Tertio, unio gratiæ, qua et ipsa semper mansit et manebit, quia semper fuit Christus, Filius Patris dilectus, in quo ei bene complacuit. Quarto, unio gloriæ in anima Christi, et hæc quoque indissolubilis est, de ratione enim beatitudinis est, ut amitti non possit. Restat unio protectionis, de qua Dominus, Joan. VIII. *Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum*. Et hæc sola ad breve tempus rupta est Christo patiente, dum potestati tortorum et inimicorum relictus est, non tantum a Patre, sed etiam a seipso, et dum ei subtracta est omnis consolatio, quæ alioquin a superiori parte animæ derivabatur in partem inferiorem. Potuisset Deus Pater, potuisset ipsemet Filius se defendere innumeris modis, et eripere ex hostium manibus, quomodo Daniele a leonibus, tres pueros e fornace ignis, quomodo Joannem ex ferventi oleo, et innumeros martyres a gravissimis suppliciis; potuisset etiam anima Christi ad corpus transmittere donum impassibilitatis, item pars animæ superior gaudium et consolationem in partem inferiorem et appetitivam et sensitivam; siquidem anima Christi semper Deum aspiciebat, et proinde summa lætitia perfundebar. Sed continuit Christus gloriam animæ suæ, ut in corpus non redundaret; similiter gaudium, quod ex Dei conspectu emanabat in animam, continuit tunc temporis, ne in partem animæ inferiorem redundaret; ad eum fere modum, quo sol unum